



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

8 An, quando apparet puer in hostia, remaneat verum corpus Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Secunda ratio sumi potest ex parte termini à quo, quia ex vi modi, quo Christus hic definit, non mutatur substantialiter sed localiter tantum: ergo hic non interuenit conuersio totius substantiæ. Hæc uero ratio duobus modis solui posse uidetur: primus est, dicendo, ad conuersionem sufficere, terminum ad quem, esse substantialem: nam ab hoc termino omnino actio & conuersio speciem sumit. Etenim, si iuxta opinionem Scoti ad transsubstantiationem sufficit accidentaliter & localis mutatio seu actio adductiua ex parte termini ad quem, multo magis sufficere in termino à quo, mutatio amissionis præsentia: sacramentalis, quia magis necessarius est terminus ad quem, aut certe, si hoc non sufficit ad propriam transsubstantiationem, saltem sufficere poterit ad aliquod genus propriæ conuersionis, siue illa substantialis dicatur, siue mixta ex accidentali, & substantiali. Sed hæc responsio non satisfacit, primo quidem: quia conuersio, ut conuersio, intrinsecam dicit habitudinem ad terminum à quo, & ad quem, ut supra dictum est: & ideo, si substantia aliqua non transit in aliam secundum esse substantiale, non potest conuersio substantialis intelligi. Deinde, quia illa mutatio amissionis loci seu præsentia: per se clauditur intra suos terminos, qui sunt præsentia, quæ amittitur, & carentia eius, vel alia ei impossibilis: nullo modo ordinatur ad productionem alicuius substantiæ, neque est pars alicuius conuersionis. Vnde, quod ibi succedat alia substantia, accidentarium est: possetque fieri, aut per meram creationem, aut per aliam mutationem localem adductiuam: & hic fit per phycicam quandam generationem supposita materiæ: creatione, ut infra dicitur.

Altera responsio. Secunda responsio esse potest: ex parte termini à quo, aliquid substantiale deperdit, scilicet, vel specialem dependentiam substantialem corporis Christi, iuxta opinionem asserentem necessariam esse specialem actionem substantialem, ad cõseruandum Christi corpus in sacramento propter specialem modum existendi, quem ibi habet: vel certe amitti modum alicuius substantialem, quem (iuxta aliquorum opinionem) acquirit corpus Christi per transsubstantiationem quod satis erit ad conuersionem substantialem: sicut, quando homo moritur, fit uera conuersio formalis in cadauer, quamuis partes essentialis hominis solum substantialem modum unionis amittant. Sed hæc responsio supponit etiam falsas opiniones, quæ à nobis in superioribus reiectæ sunt: & præterea, ut uera fiat conuersio substantialis, necesse est, ut ex vi alicuius actionis tendentis aliquo modo ad substantialem terminum, destruat in termino à quo, illud esse, cui aliud succedit: hic autem non ita fit: quia actio, quæ hic interuenit, solum est alteratio quædam naturalis, tendens ad generationem alicuius rei: & ad hoc expellens dispositiones panis cõseruatiuas. Vnde natura sua nõ ordinatur, nisi ad formalem conuersionem, quæ esse potest inter panem, & aliam substantiam: non autem ad conuersionem corporis CHRISTI in aliquid aliud: quia neque ex natura sua id habet, neque ex institutione diuina, neque per illam aliquid fit, quod per se sufficiat ad astruendum illud esse: quod Christus habet in sacramento, qualecunque illud sit: nec per illam dissoluitur aliquid cõpositum phycicum, ad cuius dissolutionem corpus Christi necessario definiret esse: non ergo fit mutatio hic per modum conuersionis, sed ad præsentiam rei, quæ generatur, Christus uoluntarie discedit, iuxta legem & institutionem ab eo statutam.

Vnde potest tertia ratio formari ex parte termini ad quem: qui, si materialiter (ut sic dicam) consideretur, non est determinate rationis, seu speciei, sed pro diuersitate agentium, & alterationum potest esse quælibet res ex pane & uino generabilis, si autem consideretur formaliter ut producibilis, sic proprie

terminat generationem substantialem, quæ solum pertinet ad conuersionem formalem, qua non potest hic corpus Christi conuerti, ut per se notum est: si autem consideretur productio materiæ primæ, quæ prius natura ad hanc generationem subintroducitur, per nullam cõuersionem fit, sed per creationem, ut infra dicitur: nullus est ergo hic terminus ad quem, qui fiat per conuersionem corporis Christi in ipsum.

Quartò inter mutationes, & actiones, quæ hic interueniunt, nulla est connexio, nec subordinatio ad conuersionem necessaria, sed sunt omnino diuersarum rationum & ordinum: & una quæque est in suo genere completa, solumque ex Christi arbitrio, & institutione ita coniunguntur, ut quotiescunque ab agente naturali talis mutatio fiat, ipse suam sacramentalem præsentiam deferat, ut declarari breuiter potest: hæc enim omnia hoc ordine hic interueniunt, scilicet alteratio specierum usque ad talem gradum, quæ naturaliter fit uirtute agentis naturalis, creatio materiæ: unio eius cum præexistente quantitate & accidentibus: eductio formæ seu generatio cõpositi & amissionis præsentia: corporis Christi, in quibus facile perspicitur potest, quædam esse supernaturales, alias naturales: quædam accidentales, alias substantiales: & inter eas nullum esse per se ordinem, neque intercedere ibi aliquam uirtutem actiuam, cui illæ omnes subordinentur, sed solum ex uoluntate diuina coniungi, partim ad occultandum fidei mysterium, partim ad suppleendum naturæ defectum: non est igitur in hoc transitu seu successione substantiarum uera conuersio, sed solum plurium mutationum & actionum aggregatio.

ARTICVLVS VIII.

Verum, quando in hoc sacramento apparet miraculose caro uel puer, fit ibi uere corpus Christi.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod quando in hoc sacramento miraculose apparet caro uel puer, fit ibi uere corpus CHRISTI. Corpus enim Christi definit esse sub hoc sacramento, quando desinit esse species sacramentalis: ut dictum est. * Sed quando apparet caro uel puer, desinit esse species sacramentalis. Ergo non est ibi uere corpus Christi.

2. Præterea, ubique est corpus Christi, uel est ibi sub specie propria, uel specie sacramenti. Sed quando tales appa- ritiones sunt, manifestum est, quod non est ibi Christus sub specie propria (quia in hoc sacramento totus Christus continetur, qui permanet integer in forma qua ascendit in celum: cum tamen id, quod miraculose apparet in hoc sacramento, quando- que, uideatur ut quædam parua caro, quandoque, autem, ut paruus puer) manifestum est etiam, quod non est ibi sub specie sacramenti, quæ est species panis uel uini. Ergo uidetur, quod corpus Christi nullo modo fit ibi.

3. Præterea, Corpus Christi incipit esse in hoc sacramento per consecrationem & conuersionem, ut supra dictum est. Sed caro & sanguis miraculose apparet, non sunt consecrata, nec conuersa in uerum corpus & sanguinem Christi. Non ergo sub his speciebus est corpus & sanguis Christi.

Sed contra est quod tali apparitione facta eadem reuerentia exhibetur ei quod apparet, quæ primo exhibebatur. Quod quidem non fieret, si uere non esset ibi Christus, cui reuerentiam latra exhibemus. Ergo etiam tali apparitione facta, Christus est sub hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod dupliciter contingit talis apparitio, quæ quandoque in hoc sacramento miraculose uideatur caro, aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte uidentium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse uiderent exterius carnem, uel sanguinem, uel puerum, nulla tamen immutatione facta

facta ex parte Sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere, quando vni videtur sub specie carnis vel pueri, alij tamen videtur sicut & prius sub specie panis, vel quando eidem ad horam videtur sub specie carnis, vel pueri, & postmodum sub specie panis. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in Magorum prodigijs, quia talis species divinitus formatur in oculo, ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc scilicet quod manifestetur vere corpus Christi esse sub hoc Sacramento, sicut etiam Christus absque deceptione, apparuit discipulis euntibus in Emau. Dicit enim Augustinus in lib. de quest. Euangelist. quod cum fictio nostra referatur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte Sacramenti, manifestum est quod non desinit Christus esse sub hoc Sacramento, tal: apparitione facta. Quandoque vero contingit talis apparitio, non per solam immutationem videntium, sed specie, que videtur realiter exterius existente. Et hoc quidem videtur esse, quando sub tali specie ab omnibus videtur, & non ad horam, sed per longum tempus ita permanet. Et in hoc casu quidam dicunt: quod est propria species corporis Christi: nec obstat, quod quandoque non videtur ibi totus Christus, sed aliqua pars carnis, vel etiam videtur, non in specie iuuenili, sed in effigie puerili: quia in potestate corporis gloriosi est, quod videatur ab oculo non glorificato, vel secundum totum, vel secundum partem, & in effigie vel propria, vel aliena: vt infra* dicitur. Sed hoc videtur esse inconueniens, primo quidem, quia corpus Christi non potest in propria specie videri, nisi in vno loco, in quo definitiue continetur. Vnde cum videatur in propria specie & adoratur in caelis, sub propria specie non videtur in hoc Sacramento.

lib. 1. c. 1. de spiritali & p. 1004. 4.

lib. 1. c. 1. de spiritali & p. 1004. 4.

lib. 1. c. 1. de spiritali & p. 1004. 4.

lib. 1. c. 1. de spiritali & p. 1004. 4.

Tho. quamquam illi respondendo alteri etiam obiter satisfacere videatur. Vt igitur quaestioni respondeat, distinguit duplicem modum harum apparitionum: nam interdum fiunt sine immutatione specierum sacramentalium per solam immutationem vel impressionem sensibilibus specierum factam in sensu videntis, aliquando vero fiunt per veram mutationem specierum sacramentalium. Qua distinctione supposita, tria respondet. Primum est, quando apparitiones fiunt primo modo, corpus Christi manere sub speciebus, & reuera, non videri in propria specie, quod est clarissimum, nec noua indiget probatione. Secundo ait, in secundo modo apparitionum, id, quod videtur, non esse verum corpus Christi: quia non potest esse in propria specie simul in caelo & in hoc sacramento: maxime quia id, quod sic apparet saepe, diu permanet eodem modo, clausum in pyxide: quod nefas, inquit, esset de corpore Christi sentire. Tertio ait, tunc nihilominus manere corpus Christi sub speciebus: quia illa immutatio fit solum in qualitatibus, manente eadem quantitate, circa quam fiunt, seu in qua fundantur: manentibus autem dimensionibus permanet etiam corpus Christi in hoc Sacramento. Haec est summa doctrinae D. Thomae, quae magna indiget examinatione: & expositione, quam commodius trademus disputat. sequente.

DISPUTATIO LV.

De apparentibus mutationibus, quae in Eucharistia contingunt.



Diximus de veris mutationibus, quae communi & ordinaria lege in hoc sacramento, & Christi corpore fieri solent: optimo ergo ordine sequitur, vt dicamus de his, quae sensibus apparent, & extraordinarie fiunt, & primum videbimus, quos modis accidant, deinde quomodo corpus Christi attingant, ac denique quid in huiusmodi euentibus agendum sit.

D. 27. de Eucharistia.

SECTIO I.

Quot modis fieri soleant huiusmodi mutationes, quae in Eucharistia apparent.

Primum omnium statuendum est, negari non posse, quin saepius huiusmodi mutationes contigerint, quia non solum eas referunt graues auctores, Paschalius lib. de Eucharist. cap. 14. Guimundus lib. 3. de eodem sacramento, Garetius Classe 6. verum etiam adhuc extant, & oculis conspiciuntur vestigia harum mutationum, quae ante multos annos miraculose factae sunt, vt in Hispania, Darocae, & Abulae, & alijs locis. Secundo obseruat Paschalius supra, huiusmodi apparitiones, quando a Deo procedunt, frequentius ordinari ad confirmandam fidem de reali praesentia Christi in hoc sacramento, quod non semper eodem modo fit, vt statim dicam, nam interdum fiunt ad confundendum infideles, & praesertim huius veritatis impugnatores, aliquando ad terrendos peccatores, qui indigne accedunt: nonnunquam ad confirmandos debiles, ac infirmos in fide, saepe vero ad amicos consolandos, ac recreandos. Quocirca ad discernendum, an visio, quae apparet, diuina sit, vel illusio daemone, aut tantum propriae imaginatio debilitas, prudenter considerandus est, & fructus visionis, & dispositio videntis, & alij effectus, seu circumstantiae occurrentes.

Paschalius, Guimundus, Garetius.

Sententiam.

Tertio, cum dictum sit has immutationes fieri ad

con-

COMMENTARIVS.

Duplicem sensum facere possunt verba huius tituli. Vnus est, an in his apparitionibus id, quod exterius videtur, sit verum Christi corpus. Alius est, an facta huiusmodi apparitione sub speciebus sic immutatis, maneat adhuc Christi corpus. Et hunc posterio-rem sensum videtur maxime intendere D.

confirmandam fidem de praesentia Christi, oportet observare, interdum apparitione fieri in testimonium praesentiae, non quae tunc duret, sed quae praecessit, huiusmodi autem sunt illae, quas ex Cypriano, Nizephoro, & aliis supra retulimus, disp. 46. videlicet, Eucharistiam interdum veram esse in lapidem in ore indigne fumentis, interdum in cineres, & similia, & tunc dubitari non potest, quin desinat Christi corpus esse sub speciebus sacramentalibus, subitoque virtute divina vere generari ibi rem illam, quae apparet, & tam veram ac realem, tantamque mutationem fieri in accidentibus panis, ut iam sub eis esse non possit substantia panis sed lapidis, aut alterius similis, quae apparet. Hoc enim Deo facile est, estque magis consentaneum fini talium mutationum, scilicet, ad confundendum peccatorem, & significandum Christum ab eo fugere propter infidelitatem, vel impuritatem eius. Idem etiam indicat modus harum mutationum: sunt enim permanentes, neque amplius species sacramentales apparent, ut antea erant, neque sub aliarum rerum specie: atque ita sentit Cyprianus in l. de lapsis, nec D. Th. contrarium hic sentit, quia in his mutationibus nunquam apparet Christus, vel caro Christi, sed potius res adeo diversa, & a natura carnis & omnis cibi aliena, ut vel hac ipsa tantum mutatione, satis significetur, Christum discessisse. Aliae igitur mutationes sunt ad significandam actualement praesentiam, de aliis vero incertum esse potest, cuiusmodi sunt ea, de quibus D. Th. proprie loquitur, & a nobis dicitur.

Cyprianus.

Est igitur circa hoc observandum quarto, multiplex posse esse visibile signum, quo invisibilis praesentia corporis Christi confirmatur, possunt vero ad duo capita reuocari. Vnum est quando hoc fit cum visibili praesentia Christi, aut carnis vel sanguinis eius, ut quando circa species sacramentales apparet splendor, vel audiuntur angeli laudantes, vel adorantes Dominum: ut legimus apud Cyprianum l. de lapsis, & apud Chrysostomum l. 6. de Sacerdotio: huc etiam pertinet, quod ipsa met species consecratae aliquando visae sunt suo impulsu moveri, ut quando ab infidelibus profectae sunt in ignem, & ipsae absque ulla laesione ipsum motae sunt. Item huc spectat, quod interdum conculeatae, & lapidibus contusa integrae, & quasi intactae permanserunt: item quod aliquando ita patenter adhaerunt, ut, nec frangi, nec diuelli potuerint, propter indispotionem indigne accedentis. Atque in hoc toto priori genere mutationum nulla potest esse dubitandi ratio, quin sub illis speciebus Christus permaneat: quia nulla in eis facta est alteratio nec mutatio, quae ad corruptionem panis sufficeret, estque hoc magis consentaneum fini talium miraculorum, in quorum confirmationem saepe contingit, species sic immutatas, v. g. patenter adhaerentes longotempore conservari. Quo etiam fit, ut temporis successione possit tanta corruptio fieri, ut ibi iam non maneat corpus Christi, & nihilominus conservari semper potest cum reuerentia id, quod exterius permanet, quasi in monumentum & testimonium prioris miraculi, & ob reuerentiam sacramenti, quod ibi praecessit. Solum igitur super sunt immutationes, quae sunt cum apparente offensione Christi, aut corporis vel sanguinis eius: De quibus solis non sine causa D. Th. quaestionem proposuit, & illius varia exempla referunt auctores citati, & Amphylochius in vita Basilii refert, quendam Hebraeorum solum fuisse videre, quendam infantem ad comedendum dari iis, quibus hoc sacramentum dabatur.

Cyprianus.
Chrysostomus.

Amphylochius.

Quinto observanda est distinctio à D. Thoma data, quod huiusmodi visio interdum fit per immutationem obiecti, interdum per immutationem solius potentiae, aut organi, seu medii. Adhibet autem D. Th. duplex signum ad hoc discernendum, primum est, si eodem tempore vni vel alteri apparet talis immutatio, alii vero solum vident speciem panis, sicut

antea, tunc enim signum est, immutationem illam non esse factam in obiecto, nam si esset, omnibus eodem modo ostenderetur, nisi nouum adderetur miraculum, quod non est sine causa fingendum, aut dicendum. Secundum signum est: si immutatio breuitempore duret, & species consecratae iterum statim videantur absque ulla mutatione, sicut in principio erant, quod signum minus certum aliquibus videtur: quia facile fieri potest, ut reuera sit immutatio facta in obiecto, quod postea iterum ad propriam formam redeat, & ita aliquando accidisse referunt Gab. lect. 41. in Can. Gabr. & Palac. d. 10. disp. vlt. circa finem. Sed nihilominus Palac. signum à D. Th. datum est moraliter satis verisimile, quia facilius est ita fieri, & quando ex aliis coniecturis aliud non confiterit, ita certe exilimandum est: quia in omnibus his rebus, quae miraculose apparent, id semper iudicandum est fieri, quod facilius est, magisque consentaneum apparentibus signis & ad finem ipsius apparitionis est sufficiens. Dices ergo, omnes apparitiones, quae hoc modo sunt, virtute demonis efficiuntur: quia sunt deceptorum, solum enim sunt quaedam sensuum illusiones. Respondetur ex D. Thoma hic, & Aug. lib. 2. Quaestionum Evangelicarum, & l. 11. contra mendacium, cap. 9. negando sequelam, quia in huiusmodi apparitionibus nullum miscetur mendacium: quia, licet in obiecto non fiat id, quod sensui apparet, tamen ea immutatio, quae in sensu fit ad aliquam veritatem significandam ordinatur: nam, quando simulatio (inquit Augustinus) ad aliquid verum significandum refertur, non est mendacium. Adde, posse huiusmodi apparitionem fieri per aliquam immutationem obiecti factam in medio, ad eum modum, quo fiunt in nubibus apparentes colores & tunc nulla est deceptio ex parte agentis, seclusa intentione decipienti, ut non decipit pictor, qui tam perfecte depingit imaginem, aut florem, ut alteri veram rem esse appareat. Deinde vero dicitur, verum esse huiusmodi apparitiones posse saepe fieri virtute demonis: & ideo necessarium esse spirituum discretionem, ad quam, ut dixi, multa considerare necesse est, & quod est praecipuum, orationibus ad Deum, & prudenti consilio: ut qui potius interdum possunt accidere ex vehemente imaginatione, aut laesione, vel debilitate phantasiae: de quo recte videri potest Alex. 4. p. q. 53. mem. 4. ar. 3. de hoc igitur toto genere apparitionum nihil dicendum relinquatur, quod ad praesentem materiam pertinet: quia manifestum est, non obliuiscitis his visionibus Christum Dominum manere eodem modo praesentem sub speciebus sacramentalibus, quia ut supponitur, nulla est in eis facta mutatio, & similiter certum est, non videri veram carnem aut sanguinem Christi: cum id, quod apparet, non fit in obiecto, sed solum appareat esse propter immutationem factam in sensu. Solum igitur superest dicendum de alio genere harum apparitionum quae sunt, veram & realem mutationem factam in speciebus sacramentalibus: nam quod aliquando ita fiunt, nemo dubitat, praesertim, quando duae illae conditiones concurrunt, scilicet, & quod omnibus videntibus eodem modo apparent species sacramentales, & quod diu ita permanent, quid ergo tunc appareat, quae mutatio in talibus speciebus, explicandum est.

SECTIO II.

Utrum vera Christi caro, aut sanguis aliquando in Eucharistia videatur.

PRIMA sententia affirmat, quoties per realem immutationem specierum apparet videri Christum sub speciebus pueri, aut carnis vel sanguinis, reuera alii videri Christum: ita opinatur Alenf. 4. p. q. 53. memb. 4. ar. 3. Gabr. lact. 51. in Canon. Palacius di. 10. disp. vlt. circa finem, qui praecipue hoc affirmat, quando species

species apparet breui tempore durat: omnes tamen modeste, & magna cum dubitatione loquuntur. Fundari poterunt, quia in primis hoc non est impossibile: quia ut diximus, potest idem corpus simul esse, & consequenter videri simul in duobus locis: ite potest corpus gloriosum sese, prout voluerit, humanis sensibus manifestare in maiori, vel minori quantitate, & secundum vnā partem, & non secundum aliam, quod maxime verum est in Corpore Christi, qui quandam omnipotentiam participat circa corpus suum: potest ergo, vel retinens sacramentalem presentiam, vel illam mutans, si voluerit, incipere esse in Eucharistia modo quantitatio, ostendendo humano visui partem, & non totum, aut sub hac vel illa figura, sicut ostendit Magdalenæ aut discipulis euentibus in Emaus. Deinde, si modus hic est possibilis videtur etiam conuenientior: quia hæc ostensio fit in veritatis testimonium, aut in singularem fauorem, & solatium alicuius iusti: veritas autem confirmanda est veris, & non tantum apparentibus indicis aut signis: iusto etiam non erit vera consolatio rem tantum apparentem, & non veram Christi carnem videre: imo videtur ei creari quoddam idolo latræ periculum, nam adorabit, vt carnem Christi, quæ vere non est.

Dicendum est tamen primo, in huiusmodi apparitionibus non videri Christum Dominum in se, nec carnem eius, & sanguinem. Ita D. Thom. hic. & communiter Theologi in 4. d. 10. Richard. ar. 5. qu. 2. Durand. Palud. & Carthus. qu. 4. Marfil. qu. 7. ar. 3. dub. 5. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 14. Aegidius. Theor. 33. & omnes Thomistæ. Et colligitur ex Patchaio & Guimundo supra, Lanfranco lib. de hoc sacram. circa medium. Et probatur, quia, vel hæc immutatio diu permaneret vt caro, aut sanguis Christi semper ibi videri, diuque in pyxide conseruari videatur, aut cito tranlit, & sacramentales species eodem modo, sicut antea, apparent, quando priori modo sit, nefas est credere, dixit D. Tho. illud, quod apparet, & pyxide clauditur, esse carnem Christi in propria specie existentem, & reuera non est verisimile, quia, & est valde indecens, & nõ necessarium; primum patet, quia tangi facile potest, & conrectari ab hominibus: imo experientia docet, diuturnitate temporis mutari, & tabescere id, quod caro aut sanguis esse videbatur, quod non potest vlla ratione carni Christi attribui. Vnde Aletius, & Gabriel concedunt, non esse veram carnem Christi, quando in ea talis mutatio fit: aiunt tamen, tunc esse signum, priorem apparitionem non esse factam virtute Dei, sed dæmonis: sed hoc gratis est dictum, & contra plures antiquas traditiones: nam multis in locis referuntur aliqua miracula huiusmodi, quæ, & ex ratione ob quam facta sunt, & ex effectibus eorum, vera esse non dubitantur: & tamen in eis prædictus effectus aperte conspicitur. Deinde, quæ est ratio, ob quam hoc semper dæmoni tribuatur, cum in hoc nulla sit inresecra malitia, nullaue deceptio? Vnde facile probatur altera pars supra asumpta, scilicet, hoc non esse necessarium, quia neque ad vitandam deceptionem, vt à simili patet ex dictis in fine sectionis præcedentis, neque ad commouendos animos aut mentes fidelium, quia, si id tantum, quod in sensibus fit, consideretur, eundem effectum parit in anima, siue obiectum sensibile tale sit in se, quale apparet, siue non, si autem consideretur fides animæ, quæ his signis excitatur, hæc non indiget illa sensibili presentia carnis Christi. Quod si fit sermo de his apparitionibus, quæ breui tempore durant, habent etiam in eis locum rationes factæ & præterea probabilissimum est, non fieri tunc illam immutationem in obiecto. Deinde, quis facile credat, quando visus est sanguis ab hostia fluere; illum, esse sanguinem Christi, & in terram, vel linteum cadere, & similiter, quando calix visus est repleri Christi sanguine, ibi esse verum sanguinem Christi extra

venas corporis, ita vt, & tangi & bibi possit? Et simile est, quando apparet, quasi fructum carnis, quod illa sit vera caro Christi? nam per sese apparet indecentia, siue multo, siue breui tempore durent, & nulla est necessitas tot multiplicandi.

Secundo dicendum est, in huiusmodi apparitionibus id, quod videtur, non solum non esse carnem & sanguinem Christi in propria specie, verum etiam non esse veram carnem aut verum sanguinem, sed colore tantum & figura eum referre. Probatur fere eodem discursu, nam hoc satis est ad ea omnia saluanda, quæ apparent, & ad omne id, quod per hæc intenditur, & non multiplicantur miracula sine causa. Deinde, quia nec probabiliter cogitari potest, quod illa sit caro humana, alterius autem animalis non est decens. Tandem, quia, si res tota cito tranlit, nõ est in obiecto necessaria mutatio, vt sæpe dictum est: si autem diu permanet, non est ad hoc apta vera caro, quæ cito corrumpetur, nisi speciali miraculo conseruaretur: satis ergo est, vt ibi obiciatur, aliquid affectum colore & figura carnis. Rogabis, vbi inhæreat illa accidentia carnis, quæ ibi apparent? Aegidius respondet species sacramentales conuertere in dimensiones carnis. Sed hoc est impertinens, quia, si sit sermo de quantitate eiusdem rationis est in pane & carne: non est ergo necessaria talis conuersio, vt omittam, an proprie loquendo, sit possibilis. Richard. dicit illa accidentia inhære in quodam corpore circumdante species sacramentales, sed hoc est negare, quod supponimus, scilicet, immutationem fieri in speciebus & deinde hoc non est verisimile, quando id, quod apparet, est eiusdem figuræ & quantitatis cum speciebus sacramentalibus. D. Thom. ergo ait, illum colorem adherere ipsismet speciebus sacramentalibus, quod est facillimum, & sufficiens: quando, vt dicebam, quod apparet, est eiusdem figuræ & magnitudinis, cuius erant sacramentales species, aut, si est in maiori magnitudine, non est tanta, quin per rarefactionem specierum fieri poterit, quando vero multo maius est augmentum, necessario dicendum est, aut immutationem simul factam esse in corpore circumstante, aut certe sacramentales species fuisse corruptas iuxta ea, quæ sectione sequente dicemus.

Nec vera caro, vel sanguis in talibus apparitionibus conspicitur.

Dubium.

Solutio.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ responsum iam est, hic nullam interuenire deceptionem: negari enim non potest, in omni opinione, quin res aliter appareat quam sit: apparet enim caro separata à cæteris partibus corporis & sanguinis, si esset in vase extra venas, & tamen neutrum in re ita est: fit ergo hic aliquid, quasi in externa imagine sine deceptione, imo ad veritatis confirmationem, ad quod sufficit, quod ibi interuenit aliquod opus diuinitus factum, quamuis non fiat ibi vera caro aut sanguis, & idem sufficit ad quemlibet alium effectum, vt iam dixi: adoratio vero, quæ ibi fit, non fit in eo, quod sensibilibiter apparet, sed per illud tranlit ad verum Christi corpus, aut in sacramento latens, aut in propria specie exilens.

SECTIO III.

Vtrum Christi caro & sanguis maneant sacramentaliter sub speciebus, in quibus sensibilibiter apparent.

1. Sententia

Diximus sententiæ extreme contrariæ, prima ab Aegidius Christi carnis post prædictam immutationem. Ita tenet Durand. dicta q. 4. num. 10. Fundamentum eius est, quia sub speciebus sic immutatis non potest substantia panis conseruari: nam sub accidentibus carnis non potest manere substantia panis, & idem fere sentit Palacius supra, quamuis addat, si talis mutatio non fit facta in tota hostia, sed in parte simpliciter dicendum esse, manere ibi corpus Christi saltem ratione alterius partis, quæ immutata permanet.

Secun-

Secunda ex
extreme oppo-
sita.
S. Thom.

Palud.
Capreol.

Secunda opinio est, Christum manere sub speciebus sacramentalibus; quamvis facta sit mutatio in qualitatibus, dummodo eadem quantitas perseveret. Hæc videtur esse opinio Dni Thomæ hic, & in quarto, distinctione 10. quaestione prima, articulo 4. quaestione 2. quem ita interpretantur & defendunt Paludanus distinctione 12. quaestione 5. & Capreolus quaestione prima, ad argumenta contra secundam conclusionem, & ex parte consentit Caietanus hic: addit vero, tunc manere species in eadem quantitate quando manent eiusdem magnitudinis, quando vero multum augentur, ut quando calix, in quo erat modicum vinum, sanguine plenus apparet, tunc inquit, immutatam esse quantitatem, & ideo non manere ibi Christum. De qua posteriori parte postea dicetur. Fundamentum huius præsentia est, quia quantitas est primum fundamentum specierum panis: & ideo quamdiu illa manet, Christi etiam præsentia conseruatur.

1. Conclus.
Si mutatio
est tantæ, ut
non patitur
formam pa-
nis, non pati-
tur etiam
Christi præ-
sentiam.
S. Thom.

Dicendum vero est primo, Quotiescunque fit tanta immutatio in qualitatibus harum specierum, ut sub eis non possit conseruari substantia panis & vini, non manet sub eis Christus, siue maneat eadem quantitas, siue non. Hoc principium positum est à nobis in superioribus, & est expresse D. Thom. quaestione 77. art. 4. & illud probat Palacius supra, & alii authores in superioribus citati, hic autem solum proponitur ad refellendam sententiam Paludani & Capreoli, prout ab eis intelligi videtur: aut enim procedimus in opinione asserente, quantitatem esse in toto composito, & destrui ac mutari illo corrupto, aut in opinione contraria: neutro autem modo potest opinio hæc constanter defendi. Probatur prior pars: nam, si quantitas est in toto composito & cum illo destruitur: ergo facta alteratione sufficiente ad corrumpeudum substantiale compositum panis & vini, destruetur quantitas: ergo supposita institutione huius sacramenti, implicat in adiecto, dicere, facta mutatione in qualitatibus necessariis ad conseruandam substantiam panis, manere quantitatem panis: quia iam non maneret substantia panis: unde absolute concluditur, non posse manere corpus Christi, quia solum tamdiu manet, quamdiu maneret substantia panis, ut supra probatum est, & facile patet, quia hæc alteratio est generatio: ergo reuera generatur, quia ex speciebus sacramentalibus. ita fit alterius rei generatio, sicut fieret ex vero pane: ergo non potest iam manere substantia Corporis Christi, & consequenter concludi potest iuxta opinionem, in qua procedimus, non manere quantitatem panis: quia cum noua substantia congenita fuit noua quantitas & antiqua ex consequenti destructa est. Posterior pars assumptæ propositionis patet, nam, si quantitas est in materia prima, & manet in genito eadem, quæ erat in corrupto, non potest esse necessaria transmutatio seu deficitio quantitatis panis, ut desinat hic esse corpus Christi, alias numquam esse desineret: quia iuxta hanc opinionem quantitas non corrumpitur, sed manet semper coæua materiæ: quia nec per se corrumpi potest à contrario, quia illud non habet, nec per accidens ad corruptionem subiecti, cum non sit in composito corruptibili, sed in materia incorruptibili, & eadem ratione in hoc mysterio, postquam generatur aliquid ex speciebus panis, manebit eadem quantitas, quæ fuerat in pane, in regenita, ut infra laicius dicetur: ergo iuxta hanc etiam opinionem dici nullo modo potest mutatis qualitatibus, propter solam quantitatem conseruari Christi præsentiam. Nec refert, quod quantitas sit fundamentum accidentium panis, solum enim dicitur fundamentum, quia est subiectum eorum, non quia per se sufficiat ad panis substantiam conseruandam, & consequenter, neque ad conseruandam præsentiam Corporis Christi, nam sola quan-

titas non est signum sensibile panis, & vini: sed ut est talibus qualitatibus affecta, & consequenter neque est sufficiens signum sub se continens corpus & sanguinem Christi. Atque ita concluditur generalis ratio conclusionis, quia facta prædicta immutatione qualitatuum, non maneret substantia panis, sed generaretur alia, ergo nec manet Corpus Christi, sed generatur alia substantia, siue maneat eadem quantitas, siue non: sicut eadem ratione, siue duæ qualitates in cali gradu, simul essent necessariae ad conseruandam substantiam panis, & vna corrumpere infra illum gradum, quamuis alia maneret, desineret ibi esse Corpus Christi, quia per similem alterationem corrumpere substantiam panis, sicut ergo non sufficit, quod maneat vna qualitas sine alia necessaria, ita non satis est, quod maneat eadem quantitas sine necessariis qualitatibus. Respondet Agidius Theorem. 23. hoc quidem esse regulare, & secundum legem ordinariam ita fieri, tamen in his apparitionibus dispensari, ut Christus conseruetur sub quantitate, siue qualitatibus necessariis ad conseruandam substantiam panis. Sed, qui affirmat dispensationem in diuina lege, oportet, ut illam ostendat aut probet, alias temere loquitur: deinde ex hoc sequeretur, Christum manere sacramentaliter sub quodam signo ab ipso non instituto. Item alia accidentia, præterquam panis & vini, manerent subiecto, & alia, quæ inaudita sunt. Quomodo autem exponendus sit Diuus Thomas hic, statim dicam.

Hoc itaque posito principio solum superest examinare, an ad prædictas apparitiones necessaria sit tanta qualitatuum immutatio, ut sub eis non possit substantia panis conseruari: quod à nobis certe difficile diiudicari potest: nam, licet nos per accidentia cognoscamus substantiam, & per accidentium mutationem substantialem transmutationem factam esse coniectemus, difficile tamen est, præsertim in his rebus inanimatis, discernere, quando accidentalis transmutatio sit tanta, ut substantialem etiam secum habeat coniunctam: ut tamen coniectura, verisimilius videtur, regulariter non fieri in his apparitionibus tantam mutationem accidentium panis, quæ ad substantiam corrumpeudam sufficit: unde consequenter fit, manere hic Corpus Christi sacramentaliter post prædictam apparitionem, ut Diuus Thomas hic sentit. Probatur, quia mutatio in accidentibus communibus non sufficit ad corrumpeudam substantiam, nisi fiat in propriis: sed hic præcipua immutatio fit in accidentibus communibus ut sunt color, quia potest esse diuersus in indiuiduis eiusdem speciei, & in eodem facilius mutari potest, quamuis non omnino dissoluatur temperamentum primarum qualitatuum, ad conseruandam substantiam necessarium, ut tractat Soto. dist. 10. quaestione prima, articulo octauo, vbi refert, etiam per artem id sæpe fieri, & idem facile est in figura mutatione, & hæc duo fere sufficiunt, ut appareat caro, sanguis, & similia: accidentia autem magis intrinseca & propria sunt odor & sapor, quæ non necessario mutantur propter has apparitiones, & multo minus è conuerso sentiuntur ibi similes proprietates carnis aut sanguinis, huiusmodi etiam est tanta condensatio: nam reuera ob nimiam rarefactionem corrumpere substantia: sed hæc regulariter non intercedit præcipue, quando apparent species in eadem magnitudine, quod fortaliter intellexit Diuus Thomas hic, cum dixit, manere eandem dimensionem, scilicet cum eadem densitate, & consequenter, cum temperamento ad illam necessario: ita enim exponendus est, ne sibi contrarius videatur, quam expositionem Caietanus etiam sua distinctione, & exceptio indicat: cuius sententia, quoad casum illum, seu exceptionem, scilicet, quando immutatio apparet facta in multo maiori magnitudine, quam erant species proba-

probabilis est; & ideo dixi, regulariter, seu frequenter: quia non repugnat aliquando aliter accidere, vt in eo casu: quia videtur nimia rarefactio in speciebus fieri: quamuis (vt supra dicebam) etiam possit dici, in eo casu non rarefieri species, quæ, si tangantur, videtur sentiri æquè dense; sed ex corpore circumstante adiungi partem aliquam eisdem coloribus affectam, vt illa magnitudo appareat: & consequenter manere CHRISTVM sub speciebus, non vero in reliqua parte corporis circumstantis. Præterea hoc modo sunt hæ apparitiones proportionatæ fini earum: nam, vel sunt ad confirmandam fidem præsentis corporis CHRISTI, & ita conueniens est, vt illa duret; vel ad solatium alicuius iusti, quod non esset solidum, si Christus discederet, quoad veram præsentiam sacramentalem: solumque appareret secundum sensibilem repræsentationem. Tandem huic sententiæ sic positæ videtur consentanea Ecclesiæ consuetudo, quæ hostias consecratas immutatas in colore carneo, aut sanguineo diu conseruat, & veneratur, vt verum Eucharistiæ Sacramentum.

Dices, hoc nimium probare: quia interdum tam diuturno tempore conseruatur, vt in eis non possit substantia panis conseruari sine corruptione. Respondetur, fortasse interdum diuinitus conseruantur, sicut alia Sanctorum reliquia, maxime quando eodem modo, & eiusdem omnino coloris semper apparent: fortasse etiam substantia panis, si ab extrinsecis corruptentibus multum actius reseruetur, longo tempore durare potest: non est deniq; negandum, aliquando posse diuturnitate temporis apparere sufficientia signa corruptionis: quod obseruandum est, vt iam tunc non adhibeatur veneratio, quæ corpori Christi ibi existenti dari solebat, sed quæ dari potest signo, seu vestigio corporis Christi, quod ibi fuit.

SECTIO IV.

Quid agendum sit, quando apparent huiusmodi mutationes in Eucharistia.

Primo inquiri potest, quid sit agendum, quoad adorationem talium specierum, & hoc iam est sufficienter explicatum, & fere eandem doctrinam habet Caietanus hic.

Secundo inquiri potest, quid sit agendum, quoad vsum: & dicendum est, non esse consumendas, sed conseruandas in loco decente & sacro, quam diu sunt sub tali forma. Ita D. Thom. hic, & in 4. dist. 10. questione 1. artic. 4. quæstioncula 3; & ceteri Theologi. Et vñus Ecclesiæ id confirmat, & ratio, quia sub illa forma non possunt sine horrore sumi; & quia tunc non proponuntur sub specie cibi humani; nempe sub specie panis & vini, sub quibus tantum Christus sumi voluit, vt argumentatur Diuus Thomas ex cap. De hac, de consecratione, distinctione secunda. Fateor tamen, rationes has non concludere, hoc esse proprie & rigore præceptum, seu prohibitum, quia posset esse minister, qui nullum haberet horrorem, nec desunt ibi omnino species panis & vini, vt probatum est, sub quibus Christus sumatur: Christus autem nunquã prohibuit sumere corpus suum propter solam huiusmodi mutationem, neq; etiam est vñus expressum Ecclesiasticum præceptum, nihilominus tamen seruanda est Ecclesiæ consuetudo, à quo non licet facile discedere, præsertim quia hoc conferre potest ad maiorem Sacramenti reuerentiam, & ad vitandum omne periculum horroris & vomitus, &c. Dixi autem, quam diu sunt sub tali forma, quia si ad priorem redeant, tunc consumi possunt, quia cessant rationes factæ, & est probabile, non esse factam mutationem in speciebus, sed in oculis, qua ratione colligit D. Thom. si immutatio appareat vni, & non alteri, posse species consumi, quia

Franc. Suarez Tom. 3.

non est facta in illis, idem autem est, etiam si fit facta, & postea cesset, & nudæ species panis ac vini appareant, sicut refert Paschasius supra accidisse cuidam viro sancto, qui, cum similem visionem vidisset, rogauit Deum, vt ad formam sacramenti rediret, quod posset consumere, atque ita factum est, & similia legi possunt apud Guirmundum & Garecium supra, & Petrum Diaconum in vita Gregorij.

Guirmun.
Garecius.
Pet. Diac.

Vltimo queri potest, quid aget sacerdos, si post perfectam consecrationem vtriusq; speciei, talis accedat immutatio? Respondetur, si in aliqua parte nihil est immutatum, illud consumi potest, & satis erit ad perfectionem illius sacrificij: si autem nihil consumi potest corporis & sanguinis, dicunt quidam esse necessarium ex præcepto consecrare iterum & consumere alias species. Ita Antoninus ex Alberto 3. par. tit. 16. c. 6. §. 14. quia est præceptum diuinum, vt sacerdos consumat sacrificium, & videtur fauere D. Thom. supra. Nihilominus verius est, hoc non esse præceptum, sed consilium, & ita esse exponendum D. Thomam censent Paludan. & Caietan. Soto dist. 13. q. 1. art. 4. Syluester, verbo Eucharistia 3. in fine. Victoria in Summa, num. 70. & ratio est, quia in eo casu non potest impleri illud præceptum in choato sacrificio, seu in speciebus consecratis: denuo vero consecrare alias, non esset prius sacrificium consummare, sed aliud inchoare, quod ex vi prioris consecrationis præceptum non est, prout nunc loquimur: nam aliunde, & per accidens posset tunc occurrere aliud præceptum, vt, verbi gratia, audiendi Missam, vel quid simile: de quo hic non agimus, & fortasse probabilis est, etiam ex illis præceptis non oriri talem obligationem, maxime si verum est, consumptionem specierum non esse de substantia sacrificij, vt infra dicemus.

Antonin.
Albertus.

Soto.
Syluest.
Victoria.

QVÆSTIO LXXVII.

De remanentibus in Sacramento accidentibus, in octo articulos diuisa.



Emde considerandum est de accidentibus in hoc Sacramento.

Et circa hoc queruntur octo.

Primo, vtum accidentia, que remanent, sint sine subiecto.

Secundo, vtum quantitas dimensiu sit subiectum aliorum accidentium.

Tertio, vtum huiusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus intrinsecum.

Quarto, vtum possint corrumpi.

Quinto, vtum ex eis possit aliquid generari.

Sexto, vtum possint nutrire.

Septimo, de fractione panis consecrati.

Octauo, vtum vino consecrato possit aliquid permisceri.

ARTICVLVS I.

Vtrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod accidentia non remaneant in hoc Sacramento sine subiecto. Nihil enim inordinatum, aut fallax debet esse in hoc Sacramento veritatis. Sed accidentia esse sine subiecto, est contra rerum ordinem, quem Deus natura indidit: videtur etiam ad quantam fallaciam pertinere, cum accidentia naturaliter sint signa nature subiecti. Ergo in hoc Sacramento non sunt accidentia sine subiecto.

Supra q. 75.
Art. 5. §. 1.
d. 47. art. 4.
cor. Et 4. d.
12. q. 1. ar. 1.
E 4. contr.
c. 63. §. 66.
E quod 3.
artic. 1. Et
quod 4. ar. 5.
Et opusc. 2. c.
8. §. 1. Cor. 2.
mal. irrationalis. col. 5.

2. Præterea, fieri non potest etiam miraculose, quod desinitio rei ab ea separetur, vel quod vni rei conueniat desinitio alterius rei (puta, quod homo manens homo, sit animal irrationalis) ad hoc enim sequeretur, contradictoria esse

